

2263

C O D I C E S

2264

in qua varia ex *Aristotele* adducuntur, demum *Expositio Cantici Magnificat. Job. Taulerum* quaedam referre videntur. Anus quidem 1484. utriusque Thecae inscriptus legitur, Sermone tamen vetustiore esse putem, e quo glossemata varia decerpi possent.

DXCIV.

- 813 Codex chartaceus germ. Sec. XV. Folior. nunc 82. 8. non una manu perscriptus Exemplar alterum est Institutionis mox adductae, sed paullo recentius; jam enim *kunig* pro *king*, *bör* pro *ber*, *bat* pro *baut*, *schön* pro *schen* &c. legitur. Abrumpitur autem paucis ante finem foliis in his verbis: *Nu ist christus vnser würczel* — et sequuntur quaedam *ἀκεφαλα* et *ἀτελα* de eadem materia, quemadmodum etiam initio Codicis talia praecedunt, in quibus *Thomas Aquinas* memoratur *Albertum M.* interrogans de maximo gaudio, quod Christus in humanis agens sensisset.

DXCV.

- 700 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 41. 4. Hunc Titulum praefert: *Pius Libellus De Erigendis Afflictis, Consolandis Aegrotantibus, Iisdemque Animandis Ad Mortem. Ex uarijs Reuerendi Patris M. Zitardi, aliorumque Catholicorum et Orthodoxorum Virorum Concionibus et lu-*

cubrationibus Collectus. Collectore et interprete Volcmaro Chytraeo. Post ogdostichon Autoris ad *Ihesum Crucifixum*, dicatur *Maximiliano Romanorum Regi, alteri Salomoni Sapientissimo, Dauidi Pijsissimo, Josaphat æquissimo*, tamquam, ut per decursum dicitur, *semper Theologiae (id quod in primis Principe Christiano dignum) studioso, amatori et auditori.* Commemoratur tamen etiam clementia et gratia *Ferdinandi Imp. cuius uitam et dies aeternus Pater D. N. J. Christi hic in terris ad nominis sui gloriam, Ecclesiae Christi protectionem et S. Romani Imperij Salutem prolongare dignetur.* Ante annum igitur 1564. scriptus Libellus vere pius et luce publica dignus, qui argumentum suum e verbo Dei, omnique Philosophia egregie pertractat, cultoque ferme se commendat. Autorem Sacris Catholicis addictum fuisse vel ea, quae adduximus, persuadere videntur, neque Libellus abnuat. Itaque *Davidi Chytraeo* non nisi *ὁμωνυμος*, et fortasse germanico nomine *Hafner* fuerit. Praeter Scriptum, quod prae manibus habemus, legitis ex iisdem fontibus, ediditque *Viennae apud Mich. Zimmermann* s. a. 8. *Piam Adbortationem ad omnigenos Peccatores, ne correctionem vitae procrastinent* &c. Cui praefixa est *Vox Sacratissimi Imperatoris Ferdinandi: Lamentabile est Spectaculum et luctuosum, eos, qui sunt eiusdem baptismi, nominis, Imperij linguaeque, ita diuelli*